

na scilicet delicias. diuitias a ho-
 nores non esse vera bona neq a
 manda Paupertates vero ac mo-
 lestias corporis ac sui contemp-
 tum non esse vera mala. nec esse
 timenda. Vnde augustinus sup
 illud ab hebre. xiiij Qui proposito
 sibi gaudio sustinuit crucez om-
 ni confusione contempta dicit.
 Omnia bona terrena contempnit
 xpistus vt contemnienda ea ce
 monstraret siue moneret. Et om-
 nia terrena mala sustinuit que
 sustinenda precipiebat. vt nec
 in illis quereretur felicitas: nec
 in istis timeretur infelicitas.
 Secundo videndum est qualiter
 isti signo contradicitur Siquidez
 humilitati que in signo a vexillo
 xpisti est depicta: contradicunt
 superbi. Ecclesiastic. xiiij. Sicut ab-
 hominatio est superbo humilitas
 sic execratio diuiti pauper. Car-
 nis molestie contradicunt volup-
 tuosi. Ecclesiastici. ij. Audiet luxu-
 riosus a displicebit ei. Paupe-
 rati vero contradicunt auari. Ma-
 thei. xix. Cum audisset adolesces
 verba hec tristis abiit. Erat emz
 habens diuitias et possessiones
 multas.

In circumcissione domini.

Sermo primus

Nost q̄ summati sunt
 dies octo vt circumci-
 deretur puer. Luc. ij.
 Humana natura in a-
 dam a deo corrupta fuit q̄ omnes
 ab ipso ppagati corruptione tra-
 xerunt. Quia si massa est corrup-
 ta: erit a delibatio corrupta a vi-
 ciata. Et q̄uis deus animā purā
 infundat: tamē ex vase. et ex co-
 pote corumpitur a viciatur. Idē
 deus a principio et media contra
 ipsum peccatum originale institu-
 it que etiam xpistus causa hu-
 militatis assumpsit. Que quidez
 sunt quinque sicut dicit hugo de san-
 cto victore. Primum fuit oblatio
 a incepit ab Abel a durauit vsq̄
 ad diluuiū a illud xp̄us assump-
 sit qui quatuor p nobis obtulit.
 Primo carnem in satisfactione.
 Adam quidez debebat satisfacere
 a penā portare. Xps aut penam
 sustinuit a sic satisfecit. sic dicit
 glo. sup illud ps. Que non respui-
 tunc exsoluebam. Ps. liij. Disci-
 plina pacis nostre super eum. Si
 leo timet quando catulus flagel-
 latur: quanto magis timeret ca-
 tulus si leonem flagellari videret.
 Sic nos debemus timere videtes
 xp̄istum sic esse flagellatum. Se-
 cundo obtulit sanguinem in redē-
 ptionem. Pe. Non corruptibili-
 bus auro a argēto redempti es-
 tis de vana vestra conuersatione
 paterne tradicōnis sed precioso
 sanguine q̄i agni incontaminati a

immaculati xpristi ac. Solent q̄
dani quando p̄soluunt ip̄sum p̄
cium numerare vel appendere vel
mensurare. Xpristus autem san
guinem suum dedit in precium sine
pondere. numero a mēsurā. vt sic
copiosa apud eum fieret nr̄a re
demptio. Ps̄. Copiosa apud euz
redemptio. Tercio obtulit aīaz
suam in reconciliatiōē. ij. Cho. z.
v. Omnia aut̄ ex deo qui reconsi
liat nos sibi per xpm̄. Sed q̄ re
consiliator dum se interponit ali
quando a p̄tibns vulneratur. sic
a xpristus fuit vulneratus a deo
Psa. liij. Percussi eum p̄pter scel̄
populi mei. Ab homine. Zach.
xiiij. Dñs plagis plagatus sum in
domo eoz qui dilexerūt me. Q̄
to obtulit diuinitatē suam in fru
itionem a ista beatitudo est nob̄
omnis a angelis. Jo. xvij. Hec
est vita eterna vt cognoscant te
solum v̄rū deum a quem misisti
ih̄sum xpm̄ In xpristi cū huma
nitate homo in quinq; sensibus
beatificat̄ p̄re angelis. In auditu
quo audit xpristi dulcissimā vo
cationem In olfactu q̄ sentiet de
corpore xpristi mirum odorem. in
ore q̄ loquetur in ore ad eos cuz
xpristo. In tactu q̄ amplexabit̄
xpm̄ Secundum remediū fuit ip̄
sum sacrificium a illud incepit a
noe a durauit vsq; ad abrahā.
Istud autē xpristus assumpsit
q̄n in ara crucis patri seipsum sa
crificiū immolauit. Dicitur autē

Leu. vi Omne sacrificium sacre
dotum igni osumere. a ideo xpri
stus vt acceptabile sacrificiū fie
ret fuit quintuplici igne inflam
matus scilicet igne diuinitatis.
DeB. iij. Deus noster ignis cōsu
mens est. Igne amoris. Luc. xij
Ignem veni mittere in terram a
amorem ac. Igne doloris. Mar. h.
xxvi Tristis est anima mea vsq;
ad mortem. Igne passionis. Ps̄.
Ossa mea sicut cremum a uerū ē
Igne compassionis Videns em̄
matrem suam sic angustiari a di
sp̄rgi discipulos in agro: cepit
in corde igne compassionis cre
mari. Psalmista. Concaluit
cor meum intra me a cetera. Et q̄
isto quintuplici igne fuit inflam
matus a circumdatus: idō a plā
ta p̄bis vsq; ad verticem fuit in
flammatus. Ezechiel. viij. Ab a
spectu lumborum eius a deo: sum
ignis. a a humbo eius ad sursum
quasi aspectus splendoris: vt vi
sio electi. Tercium enim re
medium fuit decimatio a illud in
abrahāz a melchisedech incepit
a durauit vsq; ad natiuitatem
domini nostri ih̄su xpristi. Sed
notandum est q̄ sunt decime re
rum. a istas non soluit xpristus
quā nichil habuit. Mat. xxi
mo quinto. Vulpes foueas ha
berit. et volucres celi nidose et ce
tera. Sunt etiam decime dierum
et istas xpristus soluit: q̄n qua
draginta dieb; a quadraginta

noctibus ieiunavit. Sūt decime
 precepto. Deus enim multa pre
 cepta hōi dedit sed decem sibi reti
 nuit a istas xp̄istus non solvit
 q̄ legem p̄fecte observavit Mat̄
 vi. Non veni solvere legem: s̄ ad
 implere. Sunt decime a ordinum
 Deus enim novem ordines ha
 buit angeloz a decimuz hōinum
 Xp̄istus autem. x̄cix. oues a no
 vem ordines angeloz dimisit in
 deserto in celo a decimum venit
 querere in mundo. a ipse tanq̄ de
 cimam representavit patri suo
 Quartum remedium erat circum
 cision. a istud hodie xp̄istus acce
 pit cui tamen non indigeret. In
 peccato originali sunt quatuor. s̄
 culpa. fomes. privatio gratie. et
 carentia visionis diuine In circū
 cisione autē auferebatur culpa
 debilitabatur concupiscentia a fereba
 tur gratia. tollebat diuine visi
 onis carentia. Sed q̄ ianua non
 erat apta: non poterat frui ipsa
 visione diuina. Xp̄istus igitur
 non indigebat circūcisione. q̄ a
 in ipso nulla fuit originalis cul
 pa. nec in carne sua aliqs fomes
 aut concupiscentia. nec habuit pri
 uationem sed plenitudinē gratie
 Etā in terra degens fruebat visi
 one diuina: voluit tamen circūci
 di vt verum corpus humanū se
 assumptisse ostenderet. Cum em̄
 xp̄istus fuerit verus deus a verus
 homo: quidam tñ dixerunt ip̄ū
 non assumptisse verū corpus hu

manū: sed fantasticiū. sicut mani
 chei. Ideo iohes vtrumq̄ errore
 excludens dicit. Job. vi. Tres
 sunt qui testimonium dant in ce
 lo. pater. verbum a spūs sanctus
 a hī tres vnum sunt. Qz em̄ xp̄i
 stus fuerit nature celestis. dei fi
 lius testimoniū dat pater. cū di
 citur. Hic est filius meus dilectus
 Testimoniū dat filius cui dicit.
 Ego a pater vnum sumus Testi
 moniū dat spiritus sanctus qui su
 p̄ ip̄um in specie columbe appa
 ruit. Job. vi Spiritus. aqua a sa
 nguis. Ad compositionem enim hōi
 nis duo requiruntur. s̄ anima rati
 onalis a corpus humanum. Qz
 autē habuit animā rationalem:
 patuit ex eo q̄ inclinatio capite
 tradidit spiritum. i. deo dicit. tres
 sunt qui testimonium dant in ter
 ra. Qz vero habuit corp⁹ huma
 nū patet ex eo q̄ ex eius corp⁹ ē
 exiuit sanguis a aqua Et idē p̄
 q̄ iohes dixit. spiritus subdit.
 aqua a sanguis. Cum enim ad
 compositionem corp⁹s humani qua
 tuor elementa concurrunt scilicet
 ignis. aer. aqua a terra. a ad ve
 getationem eius quatuor humo
 res similes conueniant. s̄ sang
 uis. fleuma. melancolia a colera
 Vt igitur veritatem corp⁹s hu
 manū Johannes demonstraret:
 vnum ex elemētis scilicet aquā
 et vnum ex humoribus. s̄ sang
 uinem aperte composuit. vt per
 hoc ostenderet corpus dominicū

ex quatuor elementis componi &
ex quatuor humoribus vegetari
Quintum remedium fuit bap-
tismus. Est autem triplex bap-
tismus quem xpristus assumpsit.
S. fluminis. flammis & sanguinis.
Baptismum fluminis accepit in
Iordane vt aquas sanctificaret.
Omnia enim elementa erant immu-
da: sed xpristus ea sanctificauit.
Nam sanctificauit terram per ipsam
gradiendo. Aquam in ipsa se ba-
ptizari faciendo. Aerem: non sub-
tecto sed in aere mortem paciendo.
Ignem. spiritum sanctum in specie
ignis mittendo. Secundo bap-
tizari voluit baptismo sanguinis.
vt nos a peccatis lauaret. Apo. c.
Lauit nos a peccatis nostris in
sanguine suo. Eiusdem. Lau-
erunt stolas suas & dealbauerunt
eas in sanguine agni. Ptz qd san-
guis xpristi habet dealbare ad in-
star lactis. Lac enim dicitur esse
sanguis dupliciter exco. d. Ve-
re igitur sanguis xpristi ad instar
lactis habet dealbare: qui non tan-
tum dupliciter sed quadrupliciter
fuit exco. d. vigne amoris. dolo-
ris. compassionis. de quibus su-
per dictum est. Tercio fuit bap-
tizatus baptismo flammis vt de su-
a plenitudine nobis effunderet.
Job. v. De plenitudine eius oes
accepimus etc. In alijs enim san-
ctis fuit plenitudo instar vasis.
qd huerunt gratia sufficientem In-
u. sine beata fuit plenitudo instar

fontis. qd habuit gratiam iugiter
emanantem. In xpristo autem ple-
nitude gratie ad instar fluminis
qd habuit gratia omnibus af-
fluentem.

Sermo secundus.

Uocabitur nomen eius ema-
nuel. Psa. vii. Circumci-
sio secundum bernardum pti-
net ad veritatem humanitatis.
Nomen vero gloriam indicat ma-
iestatis. Habuit autem xpristus
quatuor propria nomina & quatuor
cognomina. Propria autem nomi-
na sunt. ihesus. xpristus. filius dei.
& emanuel. Primum igitur no-
men est ihesus quod interpreta-
tur salus vel saluator. Ipse enim
saluauit nos a peccato originali. mor-
tali & veniali. Ideo dicitur Lu. v.
Ipse enim saluum faciet popu-
lum suum a peccatis eorum. Ad tria
peccata saluanda xps tria vulne-
ra accepit. S. vulnus lateris vt salua-
ret originale. qd eua de latere viti
erat formata a qua originale ince-
pit. Vulnus manuum vt saluaret
actuale qd in manibus operatio desi-
gnatur. Vulnus vt pedes sanaret
veniale qd per pedes designant affe-
ctus. Secundum nomen est xpus
qd interpretatur vnctus. Ipse e-
nim fuit vnctus a patre carisma-
tis vnctione. Ps. Vnxit te deus
deus tuus etc. A matre vnctione
lacrimationis in morte. Thobie
decimo. Flebat igitur eius mat-

irremediabilib⁹ lacrimis. **A** magna
 ignavitate deuotionis. **J**ohis
 xij. Maria accepit libram ungen-
 ti nardi pistici etc. **A** iudeis vndi-
 one sanguinis. **Gene.** xxvij. Tu-
 lerunt tunicam eius et in sangui-
 ne tedi quem occiderant tinxerunt
 Tercium nomen est **filius dei** et
 q^o hoc nomen sibi conueniat mul-
 tis modis ostenditur. vt dicitur
Luce. i. **F**ilius altissimi vocabitur.
Primo natiuitate. q^o ex deo non
 potest nasci nisi deus. **Ps.** Ex vte-
 ro ante luciferum genui te. **N**atu-
 ra. q^o eandem cum patre habet na-
 turam. **Joh.** i. Ego et pater vnum su-
 mus. **P**otestate. **Joh.** v. **Q**uem
 q^o pater fecit: hec et filius similiter
 faciet. **P**rofessione. quia professio
 siue protestatio facta est a pa-
 tre de celo. **Matth.** xij. **T**u es filius
 meus dilectus. **A**b apostolo in mun-
 do. **Matth.** xvi. **T**u es christus fi-
 lius dei. **A**b angelo de paradiso
Luce. i. **D**ic erit magnus et filius al-
 tissimi vocabitur. **A** demonibus
 de inferno. **Matth.** v. **Q**uid michi
 et tibi ihesu filii dei summi. **Q**uar-
 tum nomen est **emanuel**: quod
 interpretatur nobiscum; deus. **I**pse
 enim generaliter est nobiscum
 p^o potentiam. **Heb.** i. **P**ortans om-
 nia vobis virtutis sue. **S**pecialiter
 per gratiam. **Matth.** i. **V**bi duo
 vel tres congregati sunt etc. **S**igula-
 riter p^o nature vnionem. **Johis.** i.
Verbum dei caro factum est. et hi-
 tauit in nobis. **S**acramentaliter

per sui corporis dimissionem **Ma-**
thaei ultimo. **E**go vobiscum sum om-
 nibus diebus etc. **S**ecundo ha-
 buit quatuor cognomina quoz
 primum traxit a patria. et sic dic-
 tus est **I**hesus nazarenus qui in-
 terpretatur floridus. **I**pse enim
 fuit floridus et odoriferus. **J**uxta
 illud **Gene.** xxvij. **E**cce odor filij
 mei sicut odor agri pleni etc. **I**n
 christo enim tanq^o in agro pleo-
 fuit lilium candens in natiuitate
Cantic. ij. **E**go flos campi et lili-
 um conuallium. **F**uit viola lili-
 da in flagellatione. **Ps.** liij. **E**ius
 liuore lauati sumus. **F**uit rosa ru-
 lens in passione. **E**cclasiast. xxliij.
Quasi plantatio rose in iherico.

Secundum cognomen traxit
 a provincia. et sic dicitur est **I**he-
 sus galileus. **G**alilea autem trans-
 migratio dicitur. **C**hristus enim
 assumpsit mortalitatem quo ad
 corpus. passibilitatem quo ad a-
 nimam. multiplicem miseriam quo
 ad vtrumq^o. **S**ed illud in resurre-
 ctione transmigravit. de mortali-
 tate ad immortalitatem quo ad
 corpus. de passibilitate ad impas-
 sibilitatem quo ad animam. de mi-
 seria ad gloriam quo ad vtrum-
 q^o. **L**eo papa. **P**ost passionem in-
 firmitas in virtutem. mortalitas
 in eternitatem. contumelia tran-
 siuit in gloriam. **T**ercium co-
 gnomen transit ad parentelam
 et progeniem suam. et sic dicitur
 est **I**hesus filius dauid. **I**nter ei

Quatuor cog-
 nomina xpi.

ceteras virtutes dauid habuit
humilitatem. pietate. gratie ple
nitudinē. fuit enim filius dauid
non tñ carne: sed etiam mox si
militudine. Habuit em̄ humili
tate. Math. xi. Discite a me q̄ mi
tis sum a humilis corde. Pietate
Luc. xx. Videns ciuitatem fleuit
sup̄ illam etc. Gratie plenitudi
nem. Ps. Vixit te deus deus tuus
oleo leticie pre consortibus tuis.
Quartum cognomen traxit ab e
uentu. a sic dicitur est Ihesus cru
cifixus. Math. xxvi. Ihesum quei
tis nazarenum crucifixum. Pul
chrum est cognomen quod osten
dit eius victoriam a triumphum
q̄ per passionem demonibus tri
umphauit. Colo. iij. Expolians
principatus a potestates etc. Qd
ostendit eius meritum. q̄ merito
passionis gloriam resurrectionis
meruit. Phil. ij. Humiliauit se
metipsum factus obediens etc.
Propter quod a deus exaltauit
illum. a dedit illi nomen quod e
super omne nomen. quod nome
dat nobis exemplum vt si volu
regnae in celo studeamus pro ip
so pati. Pe. ij. Xristus passus
est pro nobis vobis relinquens
etc. Quis enim sit omnipotens
tria tñ sunt q̄ non p̄t Non em̄ po
test petenti venia denegare. ij. thi
mo. ij. Negate seipsum non p̄t.
Non potest immerito gratia au
ferre. sicut dicit Anselmus. Non
potest innocentem punire. Gen.

ix. Festina a saluate. q̄ non po
tero facere quicq̄ donec ingredia
tis illic

Sermo tertius eiusdem.

Infans octo diez circum
cidetur in vobis etc. Gen
ij. Quauis autem ihesus
fuerat puer a infans octo diez
tamen circumcissione non indige
bat. Cum enim circumcissio erat
data contra peccatum. a quonia
xristus fuerat sine peccato: ideo
non indigebat tali remedio. Ber
nardus. Qz non fecerat peccatu
res ipsa manifestat. q̄ non tra
xerit: multo fortius probat p̄is
diuinitas a matris integritas. Est
em̄ ei pater ab eterno. s. deus in
quo non cadit p̄am. Est ei mater
ex tempore. s. virgo. nec potuit pa
tere incorruptio incorruptelam
Notandum aut̄ est q̄ fuit circū
cissus xristus a parentib⁹ in p
te corporis. Primam autem circū
cissionem voluit accipere: non p̄
ter indigentiam sed p̄pter v̄guit
tiam. Congruum autem fuit vt
xristus circumcidere multiplici
ci ratione. Primo vt lege imple
ret. Roma. xv. Dico enim xristū
ihsū ministrū fuisse circumcisi
onis p̄pter veritatez dei ad confu
mandas p̄missiones patrum etc.
Secundo vt incarnationis miste
um dyabolo occultaretur. Sicut
enim auis volens capere abum

capitur ab halmo. Sic byabolus
 videns xpristum crucifixum volu
 it ipsum tanq̄ purum hoīem cape
 re in carne a captus est a deitate.
 Job. xl. Nunquid istūdis ei qua
 si auem. Tercio vt omunitatez
 commendaret. Bernar. Amator
 omunitatis quomodo illam dese
 reret a alios scandalifacēt. Sicut
 enim modo scandalifantur xpīa
 ni videntes aliquē de genere xpī
 anorum non baptisatum sic a in
 dei videntes aliquem non circūci
 sum Quarto ne indei se excusaret
 dicentes. Ideo te non recipimus.
 quia contrafacis legi nostre a de
 populo nostro debes perire. Iux
 ta illud Gen. xvij. Masculus cui⁹
 prepucij caro circumcisa non fue
 rit: debetur anima eius de popu
 lo eius Quinto vt nostram natu
 ram sanaret Sicut enim fit circū
 cisio in vno membro vt totūz cor
 pus sanetur: sic xpristus voluit
 circumcidi vt totum corpus eccle
 sie sanaret. Colo. ij. Circumcisi es
 tis nō circuncisione manu facta
 in exoliacione carnis: sed in cir
 cumcisione xpristi. Secundo fuit
 circumcīsus a indeis in omnibus
 sensibus corpōis sui. Primo q̄n
 tum ad aures. qz detraherunt po
 tentie sue. Luce. xi. In bethzabub
 principe de moniorū eijcit demo
 nia. Sue sapientie. Job. vij. Tu
 de teipso testimonium perhibes
 testimonium tuum non est vtz
 Sue miser: corde Mathi de ciuo

quinto Mūmurabant pharisei
 a scribe dicētes. quia hic peccato
 res recipit a manducat cum illis
 Secundo quāntum ad visum. E
 misit enim lacrimas compassio
 nis in ciuitatis Iherusalem subū
 sione. Luce. xxiij. Videns Ihesus
 ciuitatem iherusalem fleuit super
 illam ac. Lacrimas amoris in la
 zari resuscitatione. Job. xi. Laci
 matus est ihesus scilicet super La
 zarum amicum suū; Lacrimas do
 loris in sua passione. vt habetur
 ad Heb. ij. Cum clamore valido a
 lacrimis se offerens exauditus ē
 pro sua reuerentia. Tercio quā
 tum ad eius olfactum Habuit ei
 odorem grauem. fetidum. fetidio
 rem. fetidissimum. Odoz grauis a
 feti d⁹ causabatur ex poculo mie
 rato a absinthiato. Odoz fetidior
 causabatur ex sputis iudeorum.
 a ex cadaueribus iudeorū. Odoz
 fetidissimus causabat ex spurci
 cijs peccatoz. Peccata em̄ aerem
 inficiunt a fetidūz reddunt. Ps.
 Corrupti sunt a abhominabiles
 facti sunt in iniquitatibus suis.
 Quarto quantū ad gustum qz a
 may potum sibi xpristauerunt. S
 vinum mxtum cum felle. aceto a
 mirra. vt fel venenaret. mirra a
 marificaret. acetum quod est pe
 netratiuum. venenum fellis a a
 maritudinem mirre per totūz cor
 pus deduceret. Quinto quantū
 ad tactum. Habuit enim man⁹
 ligatas vinculo amoris. et hoc

quando. s. fuit flagellatus ad co-
lumnam. Ecclē. vij. Ne accideris
in vinculis eius. Habuit pfora-
tas largitate munerū. Ps. Apis
si manum tuam et imple omne
animal benedictione. Habuit cru-
cifixas in exemplū penitentie fia-
lis. Clauus autē quo homo affigi-
tur cruci xp̄isti est timor dei. Ps.
Confige timore tuo carnes meas
In hīs quinq̄ sensibus xp̄ist⁹
voluit circūcidi vt culpam eue sa-
naret et nos circumcendos esse
doceret. Eua autē incircūcisas ha-
buit aures: quando suggestioni
serpentis eas accōmodauit. Ocu-
lum quando pomum vetitū asper-
xit. Olfactum: quando ad odorem
pomi nimis allecta fuit. Gustuz
quando ipsum comedit. Manus
quando eas ad ipsum extendit
Nos etiā debemus in hīs quinq̄
sensib⁹ circūcidi. s. in visu a lasci-
ua cōsideratione. q̄ sicut dicit̄ Jhe-
remie. vi. Ascendit mors per fenē-
stras vestras In auditu a nocua
auditione. s. detractionis. Ecclē. v.
Si mordeat serpens in silentio: ni-
hil minus habet qui occulte de-
trahit. Et adulationis. R. sa. xiiij.
Sirene in delubris voluptatis. E-
rit p̄ suauī odore fetor. In gustu
a ciboz cōsideratione. Exo. vij. In
circūcisus labijs ego sum. In
tactu a remissa operatione. R. sa.
x. Remissas manus et soluta ge-
nua erigite.

¶ Sermo quartus.

Quatuor est nomen eius
Ihesus. Lucē. ij. Iste nō
men ihesus est gloriosū
sua sublimitate. virtuosū sua po-
testate. et deliciosū sua suauita-
te. Sublimitas enim ostenditur
ad Phil. ij. Deus exaltauit illum
et dedit illi nomen quod est sup̄
omne nomen. Ip̄sum quidē ha-
bet in reuerentia deus: ideo dicit̄
q̄ deus illum exaltauit. Habet in
reuerentia angelus. Vnde dicit̄
q̄ in nomie ihesu omne genu fle-
ctatur celestium etc. Habet in re-
uerentia omnis creatura rationalis
Ideo dicitur. Et omnis lingua cō-
fiteatur. quia domin⁹ noster ihe-
sus xp̄istus in gloria dei patris
est. Habet in reuerentia creatura
rationalis. ideo dicitur terre strū
Secundo est virtuosum sua po-
testate cuius virtus notatur Mar-
ci. ultimo. In nomine meo be-
nomia efficiunt. Tercio delicio-
sum est sua suauitate. Delectat
gustum sua dulcedine. Si quis e-
nim totum haberet in ore quod i
omni tempore melle circumdatū
esset: non tantam dulcedinem et
suauitatem sentiret. Iste nōmē
ihesus triplici dulcedine est inuo-
lutum scilicet dulcedine diuinita-
tis. carnis et anime. Iste enim tres
substantie dulcissime sūt in xp̄o.
quibus est hoc nomen ihesus in-
uolutum et suauē et dulcissimum

Ideo dicit **Ps.** Gustate et videte quoniam suavis est dominus. Secundo delectat auditum per melodie suavitatem. Sonus quidam melodie surgit ex flatu in vas musicum. s. flatus est divinitas. Vas musicum est corpus dominicum, et ex hac duplici natura divina, scilicet et humana surgit tanquam musicus hoc nomen inibus quod spirituales auditum delectat. **Vnde Berni.** Ihesus in ore mel in aure melos, et in corde iubilus. Tertio delectat visum per speciei aminitatem. Oculus non delectatur circa colores extremos, scilicet album vel nigrum, sed circa medium, scilicet viridem. Color albus est visus segregatus, et sic est ipsa divinitas ad cuius aspectum oculus cordis non potest assurgere pro sue lucis immensitate. Color niger est humanitas ad cuius aspectum oculus non potest assurgere pro nimia passione. Ideo christus quoddam temperamentum nobis fecit et nomen ihesus sibi imponi voluit quod est quasi color medius ex albo divinitatis et nigro humanitatis causatus, cum sibi operaretur rationem et triusque naturam. Color niger est humanitas eius in passione nimium demigrata. Quarto delectat olfactum per odorem magnitudine. In christo quidem fuerunt tres species aromaticae, scilicet balsamum nature divine cinamomum devote anime et mirra carnis mortificatione. **Eccii. xxiii.** Sicut cinamomum et balsamum aromatizans etc. Ex hijs consurgit aromaticus odor, scilicet

hoc nomen ihesus quod est conditum balsamo divinitatis pretioso. cinamomo anime devote et mirra carnis mortificatione. **Quinto delectat tactum** pro sui mollietate et lenitate. Tactus non delectatur circa dura, sed mollia, nec circa rigida sed flexibilia, nec circa aspera sed mansuetata. Olim enim deus erat durus ad inferendam iustitiam. **Sapientia. xi.** Illos tanquam durus rex interrogas condemnasti. Erat rigidus et inflexibilis ad veniam. **Ps.** Reges eos in virga ferrea. Habebat asperitatem per severitatem nimiam. **Job. xx.** Mutatus est mihi in crudeliter. Sed modo christus est unicus per se. **Vixit te deus deus tuus oleo leticie pro confortibus tuis.** Et ideo factus est mollis ad misericordiam, flexibilis ad veniam, mitis ad gratiam. Rogem ergo dominum etc.

In Epiphania domini sermo primus

Ecce magi ab oriente venerunt in bethleem et cetera. **Mathei secundo.** Christus in hunc mundum venit ut regnum suum recuperaret et dyabolum invasores ei cecit Johannis quarto. Nunc inditum est mundum: nunc princeps huius mundi eicietur foras. Et ideo milites sue curie ad ipsum venerunt sibi gratias agere, dicentes **Luce secundo.** Gloria in altissimis deo et cetera. Deinde visitaverunt